



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Liber Prooemialis Ad Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)



R. P.

RICHARDI LYNCEI,
SOCIETATIS IESV,
Vniuersæ Philosophiæ Scholasticæ
TOMVS SECVNDVS.

LIBER PRIMVS

PROOEMIALIS

AD PHYSICAM, SIVE SCIENTIAM
de corpore naturali.



EN, post dialecticas salebras, facillimam, ac iucundissimam totius Philosophiæ partem. Vbi mens suis hactenus actibus intenta, inque suos ipsa sinus, atque recessus abdita, iam tandem in apertam rerum corporearum lucem emergit, ac fellam aciem amœniori obtutu recreat, reficitque. Vbi suis euoluta latebris, atque angustis, in pulcherrimo hoc vniuersitatis theatro, quàm longè, latèque à summo opifice diffusum est, libère expatiatur. Hic tellurem orbis medio pendulam, montibus tumidam, vallibus depressam, arboribus frondeam, floribus roseam, fructibus fœtam, atque animantibus viuידam inspicit, ac suspicit. Hic liquentis elementi pellucidas vndas, crispatos vortices, statas reciprocationes, & per occultos, apertosque terræ meatus, euntia, & redeuntia flumina demiratur. Hic in æream regionem attollitur, vel quâ telluri contermina tot volucrum remigio tranatur, vel quâ ventorum præliis, imbrium fluminibus, gradinum procellis, fulminum iactibus, tonitruum bombis, nubiumque collisionibus æstuat, vel quâ omnis perturbationis expertus æterno vere serenatur. Hic (quod mirabilius est) circumfusus ignem, lambentemque sydera flammam inoffensa pertrahat. Hic altius euecta cœlos ipsos, aureos soles, argenteasque lunas, & nunquam morituros astrorum ignes pererrat. Hic demum rerum aspectabilium arcanam compositionem, insitam energiam, ac vigorem, admirandam sympathiam, concordem illam discordiam, discordemque concordiam, summam proportionem, atque symmetriam summa cum voluptate perscrutatur!

R. P. Richardi Lyncei, Philosophiæ, Tom. II.

Pulchrè Seneca epist. 66. *ista enim omnia* (vtique quæ superius recensita sunt, & similia) attollunt, & leniant animum, qui graui sarcina pressus, explicari cupit, & reuerti ad illa, quorum fuit. Nam corpus hoc animi pondus, ac pœna est, premente illo urgetur; in vinculis est, nisi accessit Philosophia, & illum respirare rerum natura spectaculo iussit, & à terrenis dimisit ad diuina. Hæc libertas eius est, hæc euagatio; subducit interim se custodia, in qua tenerur, & cœlo reficitur. Quemadmodum artifices ex alicuius rei subtilioris intentione, quæ oculos defatigat, si malignum, & non præclarum lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqua regione ad populi otium dedicata oculos libera luce delectant: sic animus in hoc tristi, & obscuro domicilio clusus, quoties potest, apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requiescit. Hactenus ille. Præclare etiam in eandem sententiam Cicero in Lucullo ibi: *neque tamen istas quæstiones Physicorum exterminandas puto. Est enim animorum, ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio, contemplatioque naturæ. Erigimur, elatiores fieri videmur; humana despicimus, cogitantisque supera, atque cœlestia, hæc nostra ut exigua, & minima contemnimus. Indagatio ipsa rerum, tum maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem. Si verò aliquid occurrit, quod verisimile videatur, humanissima completur animus voluptate. Mille alia huiusmodi apud alios.*

Obiectum attributionis huius operis est corpus naturale, seu mobile: cum enim hæc scientia speculatiua sit, obiectum attributionis arbitrarium, & ab inuentoris libito dependens sibi vendicat. Aristoteles autem huius scientiæ præcipuus Author, hoc ei subiectum, & hunc finem præstituit. 6. Metaphys. cap. 10. ibi: *etenim circa tale subiectum est Physica,*

A in

in quo principium motus, & status, qui in eo est. Quo autem iure, quo fundamento Aristoteles corpus naturale, seu mobile huic facultati obiectum attributionis assignarit, ex eius adæquata materia colligi potest: quippe nihil prorsus est, quod in corporis naturalis perfectam cognitionem summopere non conducat: agitur namque in ea de præfati corporis compositione essentiali, & continua, deque eius causis, & causalitate, siue actione productiua multiplici, necnon de eius infinitate, variisque speciebus, specierumque proprietatibus: quæ quis ad perfectam eius noticiam conferre inficietur? Oprimò igitur fundamento subiectum huius scientiæ designatum est naturale corpus in simplici suppositione, & prout à corruptibili animato, & inanimi præscindit.

4 Verum enimverò alij corpus substantiale completum, seu corpus de prædicamento substantiæ: alij corpus mobile: alij ens mobile; alij ens naturale, quasi hæc inter se distinguerentur, huius scientiæ subiectum esse arbitrantur. Cæterum omnes re, tum inter se, tum nobiscum consentiunt, & solis vocabus dissident: quare non tam impugnandi, quam explicandi, & conciliandi mihi sunt, in hunc modum. Corpus substantiale completum suapte natura principium motus est; atque adeo corpus mobile appellari iure potest: de hinc corpus mobile non minus ad rem aptè vocari potest corpus naturale; eo quod natura principium motus, & quietis sit, & definiatur: quod si mobile, seu naturale strictè sumatur, pro eo, quod recipit, & efficit motum; ac motus strictè etiā pro solo corporeo, & sensibili vsurpetur, vt vsurpari a solet; ac demum ens pro solo completo, & substantiali accipiat, vt haud raro accipitur; fanè totum corpus de prædicamento substantiæ mobile, seu naturale, ens mobile, seu ens naturale nominari poterit, cum solum eiusmodi corpus substantiale completum, sit ens completum suscepti-

uum, & effectuum motus corporei, & sensibilis. Quo circa corpus substantiale completum, corpus mobile, ens naturale, ens mobile, quæ alij, necnon corpus naturale, quod nos pro obiecto attributionis huius scientiæ assignauimus, in idem recidunt, vt Conimbricenses, Petrus Hurrado, & alij annotarunt.

5 Facultas hæc veri nominis scientia est, si quæ alia; cum conclusionibus euidentibus passim scateat, vt ex eius progressu constabit: merè autem speculatiua est, & neutiquam practica: licet enim quæ agit v.g. de motu ad alicuius motus effectum dirigere possit; id tamen insufficiens est, vt practica sit; eo quod acroamatica illa, & profunda motus notitia huius scientiæ propria neutiquam referatur, tanquam ad finem, ad executionem alicuius motus non minus facilem, quam inutilem; nec propter eam ordinatè expetibilis sit, sicut opus est ad modum tendendi notitiæ practiciæ, sed potius propter se possit, ac debeat expeti, sicut scientiam speculatiuam decet. Et quidem Physicam nostram esse propter se duntaxat expetibilem, adeoque speculatiuam egregiè declarat Seneca lib. 6. natural. quæstion. cap. 4. ibi: *Hæc ex quibus causis accidunt, digna res est excuti: Quid, inquit, erit operaperitum? quo nullum maius est, nosse naturam. Neque enim quicquam habet in se huius materie tractatio pulchrius, cum multa habeat futura vsui, quam quod hominem magnificentia sui detinet, nec mercede, sed miraculo colitur.* Deinde hæc scientia indiuisibilis qualitas non est, sed potius instar reliquarum diuidua in plures habitus numero, & specie diuersos, qui inter se minimè vniuntur. Hoc postremum latè demonstrabitur in Metaphysica, cum sermo fuerit de habitibus. Cætera verò scitu digna circa obiectum, & modum tendendi præsentis scientiæ ex lib. 2. Dialecticæ, qui proæmialis fuit, facile possunt constare.